



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

30. Universis & singulis &c. Præceptum Injunctum Marchioni Cortanzæ,
seu Cortanzerii, ejusque Vasallis, ne audeant Serenissimum Principem
recognoscere in supremum Dominum præfati Marchionatus nec ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Et à quibus-
cumque gra-
vaminibus
appellent, &
cenfurarum
incurfuum
gravantibus
intiment, ac
de omnibus
S. Sedis præ-
judiciis prote-
ftentur.

modò præcipimus, & mandamus, ut dicta Feuda, eorumque Vaffallos, & Habitatores, ac bona omnia inibi existentia immunes, immunia, liberos, & libera, ac in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conferrent, & conservari faciant, & à gravaminibus forfan per dictum Sereniffimum Dominum Ducem, illiusque Dominos Ministros super dictis Feudis, Habitatoribus, & bonis quomodolibet inferendis appellent, & reclament, ac eisdem, & quibus opus fuerit, cenfuras contra Turbantes Dominia Sanctæ Sedis impostas intimare, & notificare faciant, ac denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apostolicæ protestentur, & super præmissis omnia, quæ necessaria forent, gerere, & exequi faciant, ut Jura Sanctæ Sedis illata, intacta, & immunia, penitus, & omninò remaneant non solum &c. sed & omni &c. In quorum &c. Datum Romæ in Camera Apostolica hac die octava Augusti 1702.

Jo: Baptista Cardinalis Spinula S. R. E. Camerarius.

Dominicus Antonius Gallofus R. C. A. Secretarius, & Cancellarius.

V.

PRÆCEPTUM

Injunctum Marchioni Cortanzæ, seu Cortanzerii, ejusque Vaffallis, ne audeant Sereniffimum Sabaudia Ducem, & Pedemontis Principem recognoscere in supremum Dominum præfati Marchionatus, nec illi ullum subjectionis actum præstare, vel contributiones, aut alia onera perfolvere, seu perfolveri facere; sed Sanctam Sedem Apostolicam, & Summum Pontificem Romanum dumtaxat in Supremum dicti Marchionatus Dominum recognoscant.

Joannes Baptista Tituli S. Cæsarei Presbyter Cardinalis Spinula, S. R. E. Camerarius.

U Niverfis, & singulis Illustrissimis, & Reverendissimis DD. Archiepiscopis, Episcopis, illorumque DD. Vicariis, nec non DD. Abbatis, Præpositis, Decanis, Diaconis, ac quibusvis aliis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, ac quibusvis Curiarum Ecclesiasticarum Officialibus, Ministris, & Executoribus, illique, vel illis, ac cui, seu quibus præfentes nostræ offensæ, seu aliis præfentatæ fuerint, salutem in Domino sempiternam

§. 1. Noveritis nuper, & infra scriptâ die fuif se coram Nobis, & in Tribunali nostro pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis personaliter comparitum, & primo loco expositum aliàs, & sub die octava Augusti 1702, seu &c. Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Sylvium de Cavalieriis tunc præfata Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarium Generalem Nobis narrasse, & exposuisse, quod licet Principatus Cisternæ, Montaphiæ, ac Marchionatus Cortanzæ, seu Cortanzerii, illorumque DD. Feudatarii, Vaffalli, & habitatores, ac omnia Bona in Castris, & Territoriis dd. Feudorum posita, & existentia spectarent, & pertinerent ad S. Sedem Apostolicam, & super illis nonnisi Sancta Sedes, & Summi Pontifices directum, altum, & supremum dominium unice haberent, & ob id Domini dd. Castrorum Feudatarii, ac illorum Subditi, & Habitatores ac respectivè

Bona, ut supra, situata, & existentia à nullo alio Principe molestari possent, cum totaliter jurisdictioni Sanctæ Sedis, & Summorum Pontificum subjacerent, attamen usque tunc ad notitiam Cameræ Apostolicæ devenisse Sereniffimum Dominum Sabaudia Ducem, & Principem Pedemontis, ac illius Celsitudinis Locumtenentes, Ministros, & Officiales quovis nomine nuncupatos prætendisse, & prætere Dominam Enrichetam de Troufa Principissam, & Posseditricem dicti principatus Cisternæ, ac D. Carolum de Simiana Principem Montaphiæ, ac Dominum Herculeum Thomam Roverium Marchionem Cortanzæ, seu Cortanzerii Feudatarios Sanctæ Sedis, ac dd. Feudorum Habitatores, & Incolas contra omne Juris debitum, & in Sanctæ Sedis præjudicium vexare, perturbare, & ad contribuendum taxas cogere, ac Bona in eisdem Feudis posita, & existentia gravamine contributionem, & taxarum realium, & personalium gravare, & generaliter ita agere, ut dd. Domini Feudatarii Sanctæ Sedis, & dd. Feudorum Habitatores, & Incolæ sese erga dictum Sereniffimum Ducem Sabaudia, & Principem Pedemontis, tanquam Celsitudinis suæ subditi, & Vaffalli sese gererent, & omnibus oneribus, & contributionibus, quibus dicti Sereniffimi Ducis Subditi subjacent, ipsi Domini Sanctæ Sedis Feudatarii subjacerent, & istâ de causâ eundem Illustrissimum Dominum de Cavalieriis tunc d. Cameræ Commissarium Generalem, ad effectum Juribus Sanctæ Sedis consulendi, & conservandi, libera, immunia, & exempta ab omni onere, & gravamine ipsius Sanctæ Sedis, ac propriorum Feudatoriorum, & Vaffallorum Bona, cum hoc esset præjudiciale supremo, & alto dominio dictæ Sanctæ Sedis, apud Nos petiisse, & infestisse, ut aliquod Præceptum à Nobis concederetur contra eosdem DD. Feudatarios, ac illorum Vaffallos, Subditos, & dd. Castrorum Habitatores, ne sub dd. Feudorum, ac illorum Jurium, & pertinentiarum devolutionis, aliisque pœnis in corpore Juris, usibus Feudorum, ac Constitutionibus Apostolicis contentis, & comminatis auderent, seu præsumerent, aut eorum aliquis auderet, seu præsumeret præfatum Sereniffimum Ducem Sabaudia, & Principem Pedemontis, illiusque Cameram Ducalem in præfatorum Feudorum Dominum directum, & Supremum recognoscere, nec ullum actum recognitionis, & subjectionis agere, & contribuere, seu alia onera ipsis imponenda perfolvere, seu perfolveri facere, ac Bona omnia inibi existentia, immunia, libera, & exempta pro Sancta Sede conservare, & conservari facere, & à gravaminibus forfan per dictum Sereniffimum Ducem, illiusque DD. Ministros super dictis Feudis, Habitatoribus, & Bonis, quomodolibet inferendis appellare, reclamare, ac eisdem, & quibus opus fuerit, cenfuras contra Turbantes dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, & denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apostolicæ protestari, & super præmissis omnia, quæ necessaria forent, agere, concedere, & relaxare, prout à Nobis sub dictâ die 8. Augusti 1702. per acta infra scripti Reverendæ Cameræ Apostolicæ Secretarii petiitum Præceptum, modo, quo supra, concessum fuit.

§. 2. Secundo verò etiam narratum extitisse, quod licet post præsentationem prænarrati Præcepti à Nobis, ut supra, relaxati, non solum dictus Dominus Marchio Castri Cortanzæ, seu Cortanzerii, ac ejusdem Castri Communitas, Habitatores, & Incolæ omnia in eodem prænarrato Præcepto ipsis injuncta, & demandata servare debebant, verum etiam Magistratus, Locumtenentes, Collectores, & Exactores taxarum, & alii Officiales

Narrantur vexationes prædictis locis, eorumque Feudatariis, & Habitatoribus illatae, ut Ducem Sabaudia in supremum Dominum recognoscerent, eique taxas, & alia onera perfolverent.

Refertur Præceptum ad instantiam Commissarii Generalis Cameræ Apostolicæ alias injunctum Feudatariis, & hominibus prædictorum locorum, ne Ducem Sabaudia in supremum eorum Dominum recognoscerent, aut illi ullam contributionem perfolverent.

Marchio Cortanzæ, seu Cortanzerii, & d. loci Communitas, & homines hujusmodi Præceptum non observant ob violentiam sibi illatam ab Officialibus Ducis Sabaudia.

Cisterna, Montaphia, Cortanza, seu Cortanzerium, illorumque Feudatarii, homines, & Incolæ subfunt tantum supremo, & directo Dominio Sedis Apostolicæ, & Summi Pontificis.

quocumque nomine nuncupati dicti Serenissimi Domini Ducis Sabaudiae, & Principis Pedemontis à molestiis, vexationibus, perturbationibus, & aliis in præjudicium jurisdictionis S. Sedis, ac illius Feudatariorum, Subditorum, & Vassalorum inferendis abstinere pariter debuissent, & deberent; attamen non solum à die, quâ dictum nostrum Præceptum præsentatum fuit, verum etiam à die 17. mensis Maii 1707., in qua publicata fuerunt literæ Apostolicæ Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. super declaratione nullitatis decretorum, ordinationum, & aliorum gestorum in ditione Serenissimi Ducis Sabaudiae tam ultra, quàm citra Montes libertati, immunitati, & jurisdictioni Ecclesiasticæ, atque authoritati Apostolicæ præjudicialium, & ut melius narratum fuit in eisdem literis s. *Præterea cum ad retundendas graves &c.* nec non etiam post earundem literarum Apostolicarum publicationem quoad Marchionem dicti Castri Cortanzæ, ac prædicti Castri Vassalli, Habitatores, & Incolas quamvis expressè protestati sint de violentiis, & coactionibus sibi factis, & illatis prædictæ Communitati, & Vassallis super solutione taxarum, aliorumque gravaminum per dictum Serenissimum Ducem impostorum, quodque involuntariè, & metu tantum penæ subierint hujusmodi onera: Nihilominus non solum contenta in Præcepto non servarunt, immo illis expressè contraveniunt, incurrendo penas inibi comminatas, & quod Officiales prædicti Serenissimi Ducis Sabaudiae, & Principis Pedemontis ausi sunt, & forsitan etiam de præsentibus audent dictis Præcepto, & literis Apostolicis contravenire, & jurisdictionem Sanctæ Sedis, ac illius Feudatarios, Vassallos, & Subditos vexare, & perturbare, & licet ad executionem omnium præfatarum penarum de præsentibus deveniri posset, attamen, sine illorum etiam minimo præjudicio, & citra ullam penitus innovationem, & non aliàs, aliter, nec alio modo, præfatum Illustrissimum D. Gasparum Turchum modernum Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarium Generalem pro nunc instittisse, & instare pro renovatione antedicti Præcepti contra dictum D. Marchionem Cortanzæ, seu Cortanzerii, ac prædicti Castri Vassallos, Incolas, & Habitatores; Nos itaque attendentes petitionem à dicto Illustrissimo Domino Commissario Generali Reverendæ Cameræ Apostolicæ factam, ad effectum prædictum esse justam, & omni rationi consonam, renovationem prædicti Præcepti faciendam, & ut infra, concedendam duximus, prout de præsentibus, concedimus, renovamus, & omninò servari mandamus per præsentibus.

§. 3. Quo circa de mandato Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo Nobis de super facto, & authoritate nostri Camerarius Officii, inhærentes etiam supra narratis literis Apostolicis Sanctitatis suæ super dd. nullitate Actorum, ac censuris dicta die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præsentium, & in virtute Sanctæ obedientiæ Vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet in solidum, ac cui, seu quibus præsentibus nostræ ostensæ, seu præsentatæ fuerint, committimus, & strictè præcipiendo mandamus, ut statim visis, seu receptis præsentibus, & postquam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, ex parte nostra, seu verius Apostolicâ authoritate sub excommunicationis, & Interdicti, & aliis arbitrio Sanctitatis suæ penis ipso facto, & jure incurrendis debeant, & ipsorum quilibet debeat dictum Dominum Marchionem Cortanzæ, seu Cortanzerii personaliter, si ejus Personam commodè habere poteritis, sin minus per dimissionem præsentium no-

strarum literarum in Palatio solitæ habitationis cito intra Feudum, ac per affixionem etiam ad valvas majoris Ecclesiæ dicti Feudi, denuo, & prout etiam aliàs factum fuit, monuisse, & præcepisse, prout nos etiam in virtute Sanctæ obedientiæ, & de Sanctitatis suæ ordine, & mandato eumdem D. Feudatarium Cortanzæ, ejusque Ministros, & alios in executione præsentium nominandos, & cognominandos præcepimus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneari, & interpellari mandamus, ne sub dicti Feudi, ac illius membrorum, jurium, & pertinentiarum quarumcumque, devolutionis, & aliis penis in corpore juris, & usibus Feudorum, ac Constitutionibus Apostolicis contentis, & comminatis audeant, seu præsumant, aut eorum aliquis audeat, seu præsumat prædictum Serenissimum Dominum Ducem Sabaudiae ac Principem Pedemontis, illiusque Cameram Ducalem in præfati Feudi Dominum directum, & supremum recognoscere, nec ullum actum recognitionis, & subjectionis agere, ac contributiones, seu alia onera ipsis imponenda persolvere, seu persolvi facere, immo eisdem D. Feudatario, ejusque Ministri, aliisque in executione præsentium nominandis sub jam dictis penis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum Feudum, illiusque Vassallos, & Habitatores, ac Bona omnia inibi existentia, immunes, & immunita, libera, & in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conservare, & conservari facere, & à gravaminibus forsitan per dictum Serenissimum Dominum Ducem, illiusque DD. Ministros super dicto Feudo, habitatoribus, & Bonis quomodolibet inferendis appellare, & reclamare, ac eisdem, & quibus opus fuerit, censuras contra Turbantes dominia Sanctæ Sedis infligere, & notificare, ac denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis S. Sedis Apostolicæ protestari, & super præmissis omnia, quæ necessaria forent, gerere, & executioni demerare, ut Jura Sanctæ Sedis illæsa, intacta, & immunita penitus, & omninò remaneant non solum &c., sed & omni &c. in quorum &c. Dat. Romæ in Camera Apostolica hac die 28. Januarii, 1711.

Joannes Baptista Card. Camerarius.

Aliud consimile Præceptum ab Eminentissimo D. Cardinali Camerario expeditum fuit contra D. Principem Cisternæ, ejusque Vassallos die 24. Julii 1711.

Aliud insuper consimile Præceptum ab eodem D. Cardinali Camerario deinde expeditum fuit contra D. Principem Montaphiæ die 7. Augusti 1711.

Dominicus Antonius Gallosius R. C. A. Secretarius, & Cancellarius.

Protestati tamen fuerunt de violentia sibi illata, & quod metu tantum penæ, ac involuntariè onera persolverint.

Renovatur Præceptum alias injunctum Marchioni Cortanzæ, seu Cortanzerii, & ejusdem loci Communitati, ac hominibus, ne Ducem Sabaudiae in supremum Dominum recognoscere, vel ei onera, & taxas persolvere audeant sub penis.